

Fœminam redhibet in sella reclini sedentem, cum Loto in ca- N. XIII.
 pite, quæ lato brachio infantem, super sinum suum sustinet, eique
 ablanditur, pariter Lotum tenenti. Pone hinc, & inde: L. I. 6.
 Postrema hæc nota quæ sit? TULL. Valebat 6. ut adeo hic notetur
 Annus decimus Sextus, quo nimirum tunc imperabat *Hadrianus* Im-
 perator, cui eusus fuit hic Numus, exstans apud *Patinum* p. 156.
 & *Spanhemium* l. p. 302. Sedet autem hic *Ipsi* Aegyptia, sive Si-
 gnum Terræ, omnia parientis. Infans, quem gestat, ac fovet,
 est *Horus* Aegyptius, nempe frugum Ubertas. Nec Mater,
 nec Proles, unquam fuerant homines, vel ab origine sua culti,
 quasi dii, sed picturæ duntaxat loquentes, populo expositæ, quan-
 do ex iusta Nili mensura frumentorum ubertas & copia proven-
 tura spondebatur.

DIALOGUS XXXIII.

De Harpocrate, Anubi, & Sphyngæ.

PUBLIUS.

DEcimo quarto in Numo Harpocratem, Silentii I.
 Deum, pariterque Numen Aegyptium agnosco: quia TAB. VI
 in eodem Juvenis nudus, dextræ manus ostensorium di- N. XIV.
 gitum ori admovens, & Læva caulem Loti deferens, in-
 super Loto flori rotundo quodammodo insidet. Epigraphe non inte-
 gra est: ETOPO E - - i. e. Anno 5. - - TULL. Ae-
 reum & magnum hunc Numum *Antonini Pii* attulit Ill. *Spanhemius*
 l. p. 302. unacum alio, nbi nudus Juvenis, Lotum in capite
 portans, pectore tenus visitur, dextra ori admota, posito retro ip-
 sum Sceptro cum avicula insidente. Utramque figuram pro *Har-*
pocrate ipse pariter habet. *Montfalconius* Tom. II, Part. II, Tab.
 B b 3 123.

123. - 25. plurimas, easque diversissimas hujus Dei vulgavit imagines: plures vero, multasque ex Numis, congeffit *Gisbertus Cuperus*, Antiquarius Insignis Hollandus, in prolixa, & peculiari, ac eruditissima Commentatione sua de *Harpocrate*, recusa in Supplement. II. ad Grav. & Gronov. a pag. 401.

II. Ex his porro etiam Dominus Pluche tres icones delegit, a Libr. I. jens, laudatum *Cuperum* per omnem Librum suum, Græca & Cap. II. Romana eruditione insigniter undique refertum, cuncta quidem, S. 15. quæ forent *Harpocratis*, maximo studio conquisita, eruditissime tractasse. Cum primis autem in id incubuisse, ut palam redderet ac testaretur, & evinceret, Popas ac Sacerdotes paganos industria, qua poterant, maxima cavisse, ne vera Religionis mysteria in publicum proderentur, sed solis in Collegiis Mystarum abdita consisterent, cujus arcanæ scientiæ index *Harpocrates* fuerit. Conatum esse præterea, ut ethymologiam Nominis hujus in Græcis, aut Romanis radicibus reperiret. Undique tamen frustra sudasse, & nequaquam ad primam hujus postea conficti Dei veram occasionem, atque originem pertigisse.

III. Ait igitur ipse, hoc Signum Juvenis, manu ori admota silentium indicentis, & sæpe alias calathum frugum, vel Cornucopiæ gestantis, aliud non fuisse, quam *Horum* Aegyptium, hac forma propositum ad initium hyemis: us innueret, atque doceret homines, collectis jam omnibus frugibus, Dei clementia perceptis, quiete, pacifice, & absque jurgio frui, si felices esse cupiant, & hac indulgentia, citra Dei offensam, sui queurbationem, lætari. *Cupero*, eumque sequentibus reponit: Religionem Silentii quoad fidei idololatriæ mysteria, non posse antiquiorem esse ipsa idololatria Græco-Romana, de qua sola huic celebri Viro sermo perpetuus fuit. E converso autem Nomen *Hopocratis* jam in Phœnicia lingua suas habuisse cunas, & figuram ejusdem in Antiquissimis Aegypti monumentis occurrere, licet recentioribus temporibus cultior semper, & ornatio, ut alia omnes, prodierit.

IV. Ab *Or* quippe, & *Carta*, i. e. Civitas, & a *Repoa*, sive Curatio factum vult *Harpocrata*, vel *Harpocrates*, quasi *Civitatis Curatio*, vel *Constitutio Civilitatis*. Inde huic Deo Nomen, & Munus pro-

profectum esse contendit, constituenda videlicet inter Cives Politicæ, tenendæ mutuz Pacis, deferendæ Legibus obedientiæ : ad quæ omnia cumprimis diligenti linguæ custodia opus, maxime in otio a laboribus communibus vacuo. Hinc etiam Festum ipsum, quo *Harpocrates* exponebatur, dictum est *Pamylia*, nimirum a *Pa*, quod est *Os*, & *Mul*, i. e. *circumcidere*, unde compositum *Pamylab*, aut *Phamylab*, nempe *Oris circumciso*, quæ sane Silentio fit. Non tamen illo, quod inter abundantiam frugum, quæ ad hilaritatem provocabat, amica colloquia prohibet: sed, quo jurgia, contentiones, & cuncta, quæ pacem turbant, læduntque charitatem, interdicuntur.

Non itaque Viri docti, pergit *Plucho*, solum gestum, digitum scilicet ori appositum, & Silentii indicem, attendere debuerant, verum etiam reliqua symbola undique addita, & luculenta frugum large collectarum testimonia, scilicet caules, floresque Loti, sæpe geminos, ac ternos, Calathos frugum in capite, Cornuacopiæ in brachio. Quibus omnibus admoneri potuissent, *Harpocratem* non fuisse Monitorem, aut Præceptorem Silentii mystici Sacrorum, sed Silentii Politici civilem apud communitatem: ne fructum ubertas, dulcisque usus, eliminata pace, discordiarum, vel mutuarum quarumlibet incivilium offensionum impolita turbaretur. Qua de re plebes peculiari Signo diligenter admoneri, tanto majoris operæ pretium fuerat, quanto pronius hominibus inter prospera esse solet, incontinentia linguæ in alterutrum offendere. Cæterum *Angerona* pariter, Dea Silentii apud Romanos, & pari prope cum *Harpocrate* figura, digitum ori admovens, & cornuacopiæ gestans, in eundem cum ipso sensum Silentii politici conspirare videtur: cum dubitari vix queat, ejus Nomen ab *Hangoren*, sive *Horreo*, in qua fruges congregantur, originem primam accepisse. Ita certe non insipienter Gallus Philosophus noster.

PUBL. Numus tuus XV.tus. ex toties abs te auditis *Anubim* Aegyptium primo mihi obtutu facile prodidit, in Juvene, aut Viro togato, ac palliato adstante, qui tamen est capite canino, dextra extenta sistrum, cymbalum, aut crotalum, instrumentum denique Musicum rotundum præferens, læva baculum serpenti-

num

V.

VI.
TAB.VI.
N. XV.

num, sive caduceum gestans. Sistitur hic, tanquam Signum Fæsti, Deo agendi, ob affluxum, ac defluxum Nili sic temperatum, ut ex abundantia frugum, certissimis indiciiis præconcepta vitæ commoda sustentatio secure sperari posset. Caput itaque caninum, pro Stella caniculari positum, determinat hoc festum ad peculiare Nili, iusta mensura inundantis beneficium, Deo in acceptis referendum, cum hæc stella ejus affluxum semper præferit. Caduceus cum anguibus implexis, ut vitæ symbolis, spem abundantia secutura, ceu latitiæ, & gratitudinis argumentum portendit. Musicum instrumentum laudum, Deo propterea decantandarum indicium, & exhortatio est. Nec ablueret ipsa epigraphe: VOTA PUBLICA: si vetusta illa esset, & non a posterioribus Aegyptiis, *Anubim* jam ut idolum colentibus, alium in finem concepta foret.

VII.

TULL. Nihil hic mihi exponendum reliquisti, quod veterem spectat sensum imaginis: Numi autem hujus longe alius erat finis. Protulit eum *Patimus* p. 384. cum capite *Juliani* Apostatæ in *Aversa*: item alterum cum capite *Flaviae Maximiana* Conjugis, ejus in forma *Isidis Faria*: demum etiam tertium, in cujus *Adversa* ipse simul & conjux, jugatis capitibus, forma *Serapis* & *Isidis*, exhibentur. Ubique porro, ac in pluribus aliis Numis, ibidem simul pictis, idem est lemma: VOTA PUBLICA. Quanam? Non pia, sed impia: cum per ea designarent Urbes Aegyptiæ, se cum *Juliano* ad abolendam rursus Christianam Religionem conspirare: ac veterum Numinum suorum cultum, denovo sibi restitutum, se communibus votis gratulari. *Plutarchus* imaginem ejusmodi, qualis est nostro in Numo dixerat *Hermanubim*, quasi *Hermam*, ex *Mercurio*, & *Anubi* compositam, perperam vero, cum primi Aegyptii de *Mercurio* nihil cogitaverint: & *Herma* nunquam fuerit integra figura, sed semper truncata.

VIII.
TAB. VI.
N. XVI.

PUBL. Numus XVI. tus. ex meis est æris prope magni, non tamen optime conservati, cum primis in *Adversa*: ubi circa caput *Hadriani*, titulis omnibus exesis, nihil restat nisi literæ: PIAN. *Aversa* utcumque integra nonnihil attritis, necdum tamen extritis imaginibus, redhibet sine dubio Sphyngem, capite Virgineo quasi velato, sylvæ acumine etiam per tergum corporis *Leonini*

nini excurrente. Recubat hoc Monstrum super Murum altum, in cuius medio quasi crux quædam bis immissa comparet. Post murum ad lævam flos Loti, cum triplici supra se calice excrefcit. Epigraphe: ΑΕΓΥΠΤΟΣ. i. e. *Aegyptus*. Recordor porro, te in Exercit. Procem. Tab. III. n. VI. pinxisse mihi Numum *Titi Caristi* Triumviri, hinc cum capite Sibyllæ, inde cum Sphyngæ affidente: quæ tamen, ut hic, capite velato non est, corpore autem alato. Quo postea de monstro, ex Ill. cum primis *Spanbemio*, multa pulchra mihi exposuisti Dial. XI. n. 8. sqq.

TULL. Necdum eo temporis ex Domino *Pluche* mihi sapere licuit: nunc vero ex eodem novum aliquid, non minus elegans, tibi retegere præsto sum. Commonendus tamen es antea ab Ill. *Spanbemio*, præter mox dictum *Caristi* Numum Tom. I. p. 245. sqq. tres alios, licet alibi, non in Aegypto, signatos proponi, semper quidem cum Sphyngæ, pileata subinde, sed non velata, ubique porro alata, & sedente. Celeberrimus *Montfocinius*, extra Numos, complura Signa Sphyngis, supra basin humilem recumbentis, exhibet Tom. II. Part. II. Tab. 129. & 130. item Supplem. II. Tab. 48. Nullibi vero eam supra murum, illumque cruce notatum, ut in Numo tuo, jacentem conspexi. Porro cum omnes fateri cogantur, originem *Sphyngis* ex Aegypto esse, & eandem nequaquam natura, sed mero ingenio compositam esse: solus Dominus *Pluche* ad veram ejus interpretationem; ac sensu quidem facillimo, pervasisse videtur. Videtis, quomodo

Signa inter (docet ille) quibus apud primos Aegyptios Populus edocebatur de justa, vel deficiente, aut excedente mensura Nili affluentis, ex qua pendeat fertilitas, aut sterilitas terræ suæ, nullum certe planius fuit, ac Murus, publico in loco, & eo non uno, ante omnium oculos erectus: in quo ab imo sursum quasi scala quædam Geometrica cubitorum transversis lineis designata esset, unde nosceretur solo intuitu ab universis, quantum cubitum Aqua contingeret. Si namque solummodo perveniret ad cubitum XII. mum, intelligebant omnes juxta *Plinium*, non satis irrigandam esse terram, proinde famen instare: si ad

IX.

X.
Libr. I.
Cap. I. 5.
8.

XIV. tum , sponderi mediocritatem : attactu XV. ti. satietatem promitti : ascensu fluminis ad cubitum XVI. tum, quo terminabatur muri altitudo, abundantiam frugum secuturam. Quoniam vero excessus aquæ non minus nocuit, ac defectus, Muro imponebatur figura, invento aptissimo composita ex gemino illo Signo cœlesti mensium duorum, quibus Nilus affluxit, *Leone* scilicet, ac *Virgine* : quæ *Sphynx* appellata est ab Hebreo *Sphang*, h. e. *Redundantia*, ut est Job. XXII. 11. Et putabas te - - - impetu Aquarum inundantium non oppressum iri : Item Proverb. III. 10. Vino torcularia redundabunt. Nam si aqua figuram hanc mediam, vel integram submergeret, lamentabantur omnes de subsequenti anni sterilitate, ob nimis tardum aquæ deflexum.

XI.

Vide planissimam *Sphynxis* rationem, quæ adeo torfit perspicacissima ingenia, simulque ama Numum tuum, qui hæc singula quasi viva in imagine sistit, ut nihil desit, nisi quod aquas non exprimat : pro quibus tamen flos Loti, ad ripas Nili excrescens, percommode appositus est, adscripto insuper nomine : *ÆGYPTOS*. Crediderim porro, nec ipsum fabricatorem Numi, certe Græcum, qui ejus typum ex vetustissimo aliquo monumento Aegypto desumerit, verum ejusdem sensum novisse. Quemadmodum etiam, citra doctrinam Domini *Pluche*, vix quisquam hunc Numum rite intelligere, & exponere potuisset. Proxime ad hunc Numum tuum accedit Anaglyphum illud apud *Montfalconium* Supplem. II. Tab. 48. ubi *Sphynx* basi altiori, quæ tamen scala mensoria caret, incumbit, cum epigraphe : *ΜΟΝΟ ΟΙΔΙΠΟΔΙ*, i. e. *Uni Oedipo* : cui scilicet soli datum est, *Sphynxis* ænigma dissolvere.

XII.

Cæterum jam non difficulter intelliges, unde venerit, Architectos posteriorum temporum, immo & nostros, tam sæpe *Sphynx* gem, tum in *Ædificiis Templorum*, tum in aliis, ornamentis causa adhibuisse : cum nimirum ab origine reperta fuerit muris incumbere. Item : cur imago hæc perpetuo sit habita pro symbolo mysteriorum abstrusorum, sacrorum æque, ac profanorum : quia nimirum, mere quidem naturali signo, & reali aquæ dimensione, venturae ubertatis, aut sterilitatis documentum certum edi-

ediderat. Demum quæ fingendi occasio fuerit, *Sphyn gem*, cui soli Græci alas appinxerant, rupi apud Thebas infidentem, transeuntibus ænigmata proposuisse, & eos, qui solvere nequibant, unguibus discerpisse. Scilicet, quoniam tanti apud primos Aegyptios intererat, hoc Signum publice expositum rite observari, ut inde pars maxima providentiæ eorum penderet, qua prænunciata subinde sterilitatis, & consecuturæ famis periculis, alia ratione in tempore consulere possent, nisi neglecti Signi hujus incuriam, fame in mortem impellente, luere vellent.

Monendus autem es mihi, præallatæ *Sphyn gis* origini non ob-
 stare varios alios Nili mensurandi modos, pariter adhibitos: nunc
 videlicet per solas decempedas: nunc par expositas varias ampho-
 ras, hydrias, tubosque testaceos, de quibus hætenus tibi dixera-
 ram. Ubi addere libet, juxta *Plinium*, Nili auctus per Puteos men-
 sura notis deprehensus esse. Quod *Strabo* exponens, docuit, in ripa
 Nili alicubi Puteum esse, ex integro lapide tali artificio structum,
 ut Aqua in eo conclusa cum Nilo paria habeat altitudinis incre-
 menta: quorum proinde varii gradus in lateribus Putei notis de-
 scripti sint, cui e re ipsa *Νελομέτριον*, i. e. *Nili mensura* nomen im-
 positum. Hodie quoque apud *Magnam Cairum* Columna in usu est,
 pariformiter gradibus discreta: quos constituti speculatores obser-
 vant, & singulos in dies, præconis voce, per omnes præcipuos
 Urbis vicos proclamari faciunt: unde postea per Cursores vicinis
 in regionibus auctus fluminis evulgatur. Unius quippe rei pera-
 gendæ raro non nili unica ratio est: pluribus modis eadem res per-
 fici potest, sic tamen, ut anterior plerumque simplicior, poste-
 rior auctior, expeditior, atque perfectior sit. Sin porro idem fe-
 culis longis, & Locis maxime distitis peragi debeat, agendi
 modus idem penitus esse fere omnino non potest. Quare & Ni-
 li mensura per Murum, & *Sphyn gem* imposita, universa in
 Aegypto, & omni tempore, nec sola, nec unica fuit.

PUBL. Plurima denuo ex his Aegyptiis Numis, ubi me
 credideram jam undique sapere, addidici. *TULL.* Libet unum
 adhuc æreum Numum parvum tibi commemorare, a *Cl. suo Tab.*
Harduino pictum: in Adversa cum Capite *Serapis*, imposito calatho, IX. n. 9.
 additoque titulo: DEO SANCTO SERAPIDI; in Aversa cum II pag.

XIII.

Libr. V.
 Cap. 9.
 Geo-
 graph.
 Libr.
 XVII.

XIV.

Fluvio recumbente super Urnam, qui dextra extenta tenet arundinem, lævo brachio Cornucopiæ gestat. Epigraphæ: DEO SANCTO NILO. Infra scribitur: ALE. xandriæ, juxta illos, quibus hic Nilus pictus esse certissime videbatur. Vir porro Cl. negat, fabricam hujus Numi Aegyptiam esse, sed multo elegantiore, ac proinde Gallicam, & idcirco legendum non esse in subscriptione: ALE. xandriæ, sed A. i. e. *Prima L. ugdunensis E. dicto.*

XV. Caput *Serapis* in *Aversa* quidem agnoscit: epigraphen tamen, *Deo sancto Serapidi*, retinendam non vult, cum errorem Grammaticum esse dicat, scribere *Serapidi*, quia *Plinius* ait, *Templum Serapis*. Porro *Strabonem*, similesque *Græculos*, quales ipsos appellat, qui *Σαράπιδος* dixere, haud magni facit, cum *Ἄπιδος* per *ἄπιδος* inflectere ausi non sint. Neque moratur *Numos Galliæni*, & *Postumi*, in quibus legitur: *Serapidi Comiti Aug.* Inscitiam quippe Grammaticorum ejus ævi accusat. Disjectis itaque literis, dum *Numum hunc Juliano Apostatæ* cusum vult, ita legit: D. udum E. xpetitum O. rbi S. ervator A. primæ N. arbonensis C. ivitatum T. utator O. mniium SERAP. is I. ulianum D. edit I. mperatorem.

XVI. In *Aversa Nilum* penitus non sustinet, quia *Crocodilus*, & *Hyppopotamus* absunt. Causatur præterea tam contra præsentem, quam priorem epigraphen, non intellexisse idololatrias, quid esset *Sanctus Deus*, & ideo has voces nunquam conjunxisse. Neque denuo moratur *Poetam*, qui apud *Atheneum* cecinit: *Ἀγυπτιῆς Ζεὺς Νεῖλε*: i. e. *Agyptie Jupiter Nile.* *Rhodanum* itaque, vel *Ararim* fluvium depictum hic intuetur, qui ambo *Primam Lugdunensem* alluunt, aut secant. Epigraphen denuo alacer disjicit, & jungit hoc modo. D. udum E. xpetitum O. rbi S. erapis A. primæ N. arbonensis C. ivitatum T. utator O. mniibus N. egotiatoribus I. ulianum L. iberatorem O. btulit.

XVII. Veruntamen, vocem *Serapidi* quod attinet, *Strabo* sub Augusto atque *Tiberio* florens *Plinium* ætate præcessit. *Tacitus* huic æqualis, & *Latinus*, pariter scribebat: *Monita Serapidis Dei.* Sic *Thef. L.* & *Pausanias*, aliique. Ex quo fluit, quod *Robert. Stephanus* posuit, *Lat. Tom. IV. voce.* utrumque dici genitivo casu, *Serapis*, & *Serapidis*, hocque *Nomen*, ut alia plura, esse anomalum. E converso autem sequitur

tur, hanc, aut illam inflexionem vocis, quando utraque probatos *Scrapis.* apud Authores obtinet, fundamentum sufficiens non præbere, Epigraphen aliquam plano sensu suo tam libere deijciendi, maxime, quando sententia, quæ nova ex ingenio supponitur, exiguo numero suo tortam se magis, quam fluentem demonstrat. Conjunctionem deinde vocum *Sancto Deo* paganis extra usum non fuisse, demonstrat utique Numus *Antonini Varii* cum epigraphe: *Sancto Deo Soli Elagabalo*: quam sane non alii, ac idololatræ, conceperunt. Demum apud Cl. Patinum p. 384. cæteros inter *Juliani* Numos Fluvius, qui certe *Nilus* est, Urnæ suæ tertium incumbit, Cornucopiæ gestans, eodem ubique cum lemmate, quod est in pluribus ibidem aliis Numis, meros Deos Aegyptios redhibentibus, nimirum: VOTA PUBLICA. Nullibi tamen Crocodilum, aut Hypopotamum videas. Nihil igitur tantopere ab hac Sphynge Harduiniana pertimiscendum. PUBL. Cui saltare liber, is cito fides audit: & cui in Adversum ire undique proelive est, ei minimus asserculus pro ponte cubat. Sed libera Gens Eruditi, quibus non facile Dictatorem te statuas.

DIALOGUS XXXIV.

De Cybele Matre Deûm, ac Ifide,
seu Diana Ephesia.

TULLIUS.

TAndem Deas quoque tecum expendere licet: in quarum prope omnium formis, juxta Dominum *Pluche*, una *Isis* Aegyptia prodit. Ut namque *Osiris* nihil aliud fuit, quam Sol, & Natura fœcundans: ita *Isis* nihil aliud erat, nisi Natura pariens, & Luna: cujus officium triplex esse